stum est hunc presbyterum. eamus dominica die et accipiamus corpus
domini et eius sanguinem et tunc revertamur ad cellas nostras. pla
cuit autem illi persuasio diabolica et exeuntes venerunt ad
ecclesiam ubi presbyter fuit et miserunt se in orationem et exur
gentes ab oratione frater ille respiciens non vidit illum qui addu
xerat eum et cum non invenisset dixit ad fratres monasterii ubi
est senex abbas qui mecum ~~dimiserunt~~ intravit. dicunt ei nos nemi
nem vidimus nisi te solum. Tunc cognovit frater quia demon fuisset
et dixit. vide cum quanta astutia diabolus eiecit te a cella tua
et tamen michi non nocet quia ad bonum opus veni percipiam corpus et
sanguinem et tunc revertar ad cellam meam et post factas mis
sas voluit frater reverti sed tenuit eum abbas illius claustri
dicens. frater nisi comedas nobiscum non te dimittimus et cum per
cepisset cibum reversus est ad cellam suam et ecce iterum post ali
quod tempus venit diabolus in similitudine cuiusdam iuvenis secularis
et cepit eum respicere a summo capitis usque ad pedes et
dicere. Iste est. non est hic. et cepit eum considerare et dixit ei
frater. Quid me tantum respicis. at ille. puto me non cognoscas
tamen post tantum tempus quamvis habes me cognoscere. ego vicinus parentum tuo
rum sum et filius fui illius amici patris tui. Numquid non est dictus
sic pater tuus et mater tua tale nomen non habuit et soror
tua nonne sic dicta est et tu ipse nonne sic vocaris et man
cipia illa et illa non sic dicta sunt. mater tua et soror tua sunt
iam ante tres annos defuncte. pater vero tuus noviter defunctus est et
te fecit heredem dicens. cui heredi dimittere substantiam meam
nisi filio meo sancto viro qui reliquit seculum et abiit post deum
vero ipsi dimitto omnia mea. modo autem qui deum habeat et sciat
ubi habitet dicat ei ut veniat et distribuat omnem sub
stantiam meam et eroget eam pauperibus pro anima mea et sua
et perrexerunt multi querentes te et minime invenerunt. ego

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 596, p. 47 – Excerpts from the lives and teachings of the Monastic Fathers (http://www.e-codices.ch/en/csg/0596/47)